

Positiones medicae de calculo renum et vesicae ... Pro licentia doctoris in arte medica gradum consequendi / respondebit M. Wolfgangus Schallerus.

Contributors

Schaller, Wolfgang, active 1608-1625.

Sennert, Daniel, 1572-1637

Universität Wittenberg

Publication/Creation

[Wittebergae] : Typis Meisnerianis, 1612.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/krebhjyg>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

POSITIONES MEDICÆ

De

CALCULO
RENUM ET
VESICÆ:

Ad quas,

CUM DEO,

PRÆSIDE

DANIELE SEN-
NERTO, PHILOSOPHIÆ
& Medicinæ Doctore, & Pro-
fessore Publico,

In Academia VVittebergensi,

PRO LICENTIA DOCTORIS IN ARTE
Medica gradum consequendi,


Respondebit

M. VVOLFGANGUS SCHALLE-
RUS, FREIBERGENSIS.

Ad diem XV. Maji,

Typis Meifnerianis,

ANNO M. DC. XII.





Σ Τ Ν Θ Ε Ω.

I.



INTER alia, quæ in corpore nostro præter naturam generantur, eiq; damnum inferunt, sunt Calculi. Et quidem nulla ferè corporis pars est, in qua non calculos aliquando inventos fuisse observatum sit.

II. In cerebro calculos repertos esse, annotavit Job. Kentmannus, libello de Calculis: Hollerius, lib. 1. de Intern. Schol. in cap. 48. Cornel. Gemma, Cosmocrit. c. 6. Laur. Ioubertus, Paradox. 7. dec. 2.

III. In palpebris, Aëtius, tetr. 2. serm. 3. c. 80. Jul. Cas. Scal. exerc. 108. s. 3. Sub lingua, Nicolus Florentinus, serm. 4. tr. 1. c. 6. & serm. 5. tract. 9. c. 12. Guainerius, de calculosa passione, c. 1. Kentmannus, Cornelius Gemma, & Laurentius Ioubertus, locis allegatis.

IV. In tonsillis & faucibus, Nicol. Florent. serm. 5. tr. 9. c. 12. Langius, l. 2. Epist. 57. Kentmannus, loc. alleg. In gutture; Avicennas, l. 3. Fen 9. c. 9.

V. In pulmone; Guainerius, de calculosa pass. c. 1. Aretæus, l. 1. c. 12. Alex. Trallian. l. 5. c. 4. P. Ægineta, l. 3. c. 31. Fernelius, l. 5. de part. morb. & Sympt. c. 10. Anton. Benivenius, de abdit. & mirand. morb. & sanat. causis. c. 24. J. C. Scalig. loco allegat. Dodoneus, med. observ. c. 23. Trincavel. l. 6. sect. 4. c. 7. Kentmannus, loc. alleg. Cardanus, in com. aphor. 74. sect. 4. Columbus, l. 15. Anatom.

VI. Circa basin arteria tracheæ; Cornel. Gemma loc. alleg. In Cordis arteriis, Fernelius, l. 1. de part. morb. & Sympt. c. 12. In Corde; Hollerius, l. 1. de morb. intern. in schol. c. 29. & 50. & Com. 1. in lib. 6. sect. 2. coacar. Hipp.

aphor. 4. *Tb. Erastus*, in Consil. à L. Scholtzio editis
Conf. 103. *In mammis*; *Lemnius*, l. 4. de occult. natur. mi-
rac. c. 12.

VII. In ventriculo; *Nicol. Florentinus*, serm. 5. tr. 4. c.
53. *Guainer*. loc. alleg. *Gentil*. in com. in Avicen. l.
4. fe n 1. tr. 2. cap. de Febr. Sext. *Cardan*. contr. 9. l. 2.
tr. 2. & l. 2. de subtil. *Corn. Gemma*, loc. alleg. *Job. Argent.*
l. 4. aph. 79. *In Intestinis*; *Galenus*, 1. de loc. affect. c. 5: & 6.
loc. aff. c. 2. *Arculanus*, in 9. Rhas. cap. de cap. *Job. Argent.*
Gentil. & *Guainer*. loc. alleg. *Beniven*. med. observ. c. 19.
Fernelius, l. 6. de part. morb. & sympt. c. 9. *J. C. Scalig.*
Trincavel. *Columb*. *Kentman*. *Cornel. Gemma*, loc. alleg. *Hol-
lerius*, l. 1. de morb. inter. c. 48. in schol. *Hieron*. *Capi-
vac*. l. 3. Pract. c. 13. *Mercurial*. l. 2. de excrement. c. 4. &
lib. 2. variar. lect. c. 2. *Ambros. Paræus*, l. 24. c. 19. *P. Salius
Diversus*, in Annot. in cap. 79. *Altimar*. *Marcell. Donat*. de
hist. med. mirab. l. 4. c. 30. *Crato*, in Epist. à Laurent.
Scholtzio collect. Epist. 140. *Nicol. Florentinus*, serm. 2.
c. 12. *P. Forest*. l. 14. obs. 16. in Schol. & l. 24. observ. 18. in
in Schol. *In mesenterio*; *Fernelius*, l. 6. de part. morb. &
Sympt. c. 3. *Hollerius*, l. 1. de Intern. c. 48. in Schol. *In ve-
na porta*; *Columbus*, loc. alleg.

VIII. In Epate; *Cal. Rhodigin*. Antiq. lectio. l. 4. c.
17. *J. C. Scalig*. loc. alleg. *Kentman*. l. de calc. *Benivenius*,
c. 3. & *Dodoneus* in Schol. *Jac. Camenicenus* ad Matthiol.
l. 5. Epist. *Holler*. *Trincav*. *Columb*. loc. alleg. *Dominic. Leon.*
de arte med. l. 5. c. 6. *In Vesica Fellis*; *Nic. Flor*. loc. alleg.
Beniven. c. 94. & *Dodon* in Scholiis. *Fernelius*, l. 1. Phy-
siolog. c. 7 & l. 6. de part. morb. & Symptom. c. 5. *Job.
Argent*. *Holler*. *Kentman*. *Columb*. loc. allegat. *Langius*, l.
2. Epist. 57. *Volcher Coiter*, in observ. Chæurg. & Ana-
tom. Miscell. *Fallop*. in observ. ad P. Mannam & Tract.
de Fossil. c. 7. *Gemma*, *Cosmocr*. l. 1. c. 6. *Forest*, l. 14. ob-
serv.

serv. 26. & l. 24. obs. 18. in Schol. *Jacob. Camenicen.* ad
Matthiol. l. 5. Epist. *Guliel. Fabricius*, obs. Cherrurg. 70.
In glanduloso corpore, quod vesicæ adnascitur; Marcell. Donat.
loc. alleg.

IX. In Liene; Vesal. l. 5. Fabr. hum. corp. c. 9. Holler.
loc. alleg. *in venis hæmorrhoid.* *Columbus*, loc. alleg.

X. In utero, Hippocrates, 5. Epid. sect. 7. tex. 25.
Ætius, Tetr. 4. serm. 4. c. 98. *Nic. Florent.* serm. 5. tr. 9. c.
12. *Hollerius*, loc. alleg. *Argent. l. 4. Aphor. 79. Marcell.*
Donat. de hist. Med. mirab. l. 4. c. 30. P. Sal. Divers. in a-
nimad. in Altimar. c. 113.

XI. In juncturis topbaceam & gypseam quasi materiam
concrefcere, notissimum est. In abscessibus calculos reperiri, ob-
servavit Fallopius, de Tumor. p. n. c. 4. Kentman. Trinca-
vell. loc. alleg. Schenck, l. 5. observ. 58. Herc. Saxon, l. 3.
Pract. c. 41.

XII. Verùm in renibus & vesica frequentissimè calculi
nascuntur, quorum solùm cognitionem cum habuerit Galenus,
l. 1. loc. affect. c. 5. & 6. loc. affect. c. 21: Lapidetantum in
renibus & vesica, & ut alii referunt, etiam in intestinis ge-
nerari scribit. Itaq; in primis hac disputatione de calculis Re-
num & Vesicæ agemus. Quæ tamen dicentur, facile quoq; alia-
rum partium calculis accommodari poterunt.

XIII. Sunt autem Calculi è rerum, quæ toto genere præ-
ter naturam esse dicuntur, numero, atq; nunc causarum mor-
bificarum naturam induunt, & morbos excitare solent in
via, & soluta unitate, in Numero etiam, ut plerisq; placet;
nunc ad symptomata in excretis præter naturam, seu ad ea,
quæ toto genere præter naturam excernuntur, pertinent, &
varia symptomatum genera, in primis dolores, excitant.

XIV. Malum hoc in genere λιθιάσεως nomine expri-
mitur. Licet enim nonnulli λιθιάσιω saltẽm generationem cal-
culi in vesica significare, & λιθιάων & λιθιάωντας non dici existi-
mant,

mant, nisi de iis, quibus vesica molestus est calculus: tamen cum λιθιασις etiam de lapillis in palpebris oculorum natis usurpetur, ut ex Intraduct. c. 15. videre est: quid ni λιθιασις de renum quoque calculo usurpetur?

XV. Sunt etiam, qui λιθιασιν non solum de ipso calculo & affectibus, qui à calculo proveniunt, sed & de illa dispositione, ob quam calculi in corpore præter naturam facile generantur, accipiendam censent, atque eos quoque λιθιασει laborare existimant, qui licet à calculo semel liberati sint, dispositionem tamen ad generationem calculi aptam adhuc in corpore retinent. Ubi autem renes infestantur, Nephritis nominatur: quamvis hæc vox non raro quemcumque renum præter naturam affectum significat.

XVI. Ut verò, quæ sit calculorum in corpore humano genitorum ratio, clarius pateat: de materia & causa efficiente calculorum dicendum, & quidem paulò accuratius, cum Antiqui hæc de re non ita multa, neque satis exactè scripta reliquerint.

XVII. Materiam quod attinet, eam alii aliis nominibus exprimunt, alii viscosam, lentam, crassam; alii feculentam, terream, limosam, lutosam; Recentiores non incommode tartaream nominant, quòd Tartaro, feculenta & lutesa illi materia, quæ à vino separatur, concrescit, doliorumque lateribus adhaerescit, similis sit. Qualis autem tartarea illius materiae natura sit, ex sequentibus manifestum evadet.

XVIII. Qua verò vi & cujus agentis efficacia ista materia coaguletur, ut induretur, & lapideam consistentiam acquirat, valde obscurum est, dissentiuntque ea re inter se Medici. Alii enim causam efficientem, quæ materiam istam coagulet, extra materiam constituunt; alii eandem materiam inesse existimant.

XIX. Qui causam efficientem lapidum extra materiam querunt, iterum omnes non ejusdem sunt sententiae. Alii enim

enim frigori, alii calori, alii siccitati vim generandi calculos tribuunt: alii peculiarem arenosam calculosamq; constitutionem seu vim λιθοποιήσιν in renibus & vesica admittunt.

XX. Ut itaq; veritas eruatur, omnes istae sententiae expendenda sunt, & verior proponenda. Quod factu quam difficilimum est; cum praecoeptas de calculorum generatione opiniones pleriq; tueantur pertinacius, nec tamen quod animus veritatis avidum satiet, proponant. Quæramus itaq; ad veritatem viam, & in via non satis trita pedetentim incedamus, ac primum impedimenta removeamus.

XXI. Principio qui à frigore calculos generari opinantur, vix aliquid probabile asserunt. Quis enim sibi persuadere patiatur, in homine vivente tantam inveniri frigiditatem, quæ lapides congelare possit? Et si à frigore congelantur lapides, secundum Aristotelem 4. Meteor. c. 6. atq; ipsa experientia teste, calore solverentur, ut in glacie ac nive aliisq; frigore concretis videre est: quod tamen in calculis non accidit.

XXII. Qui à calore, & qui à siccitate calculos generari statuunt, sententiis non multum discrepant. Utriq; enim ad siccitatem deveniunt, statuuntq; calculos generari ab exsiccatione humidi, seu, ut Cardanus in Com. Aph. 26. sect. 3. habet, generationis calculorum principium esse siccitatem: hanc autem fieri, vel quia materia crassa exuratur vel cogatur; & ut postea scribit, fieri lapidem ex materia crassa semper exsiccata, vel ob siccitatem loci, vel ob vehementiam caloris humidum solventis.

XXIII. Verum nec hæc opinio, quamvis vulgata sit, fidem meretur. Nam licet calore humiditatem absumente, vel dissipante, multa indurari non ignoremus: tamen ea causa vix locum habet in vesica & renum calculis. Cum enim nihil coagulari & in lapidem à calore indurari possit, nisi humidum maxima ex parte absumatur: quis credat in vesica &
renibus

renibus ullam materiam ita exsiccare, & omni humiditate privari posse, ut in lapidem concreseat; cum hæc loca humidio perpetuo scateant, atq; ad serosa & aquosa totius corporis excrementa recipienda destinata sint. Sit, ut sensim in aliis partibus à calore exsiccante quiddam calculus simile concreseat: at tale quid in vesica & renibus aquosorum & serosorum excrementorum receptaculis fieri posse, credibile non est.

XXIV. Præterea tantus calor in corpore non reperitur, qui posset calculos instar laterum ex luto coquere. Neq; enim modicus calor idem præstare potest; cum videamus ex luto lateres non fieri moderato calore, etsi is diutissimè continueatur, sed vehementi calore, certoq; caloris gradu opus esse: Et quæ à moderato calore duritiem acquirunt, aqua iterum facile dissolvi.

XXV. His accedit, quòd multi, quibus calidissimi sunt renes, nullum unquam toto vitæ curriculo calculum generant. Imò contra plurimi cum hoc malo conflictantur, qui calore potius destituuntur, quàm ut excessum aliquem ejus habeant, quales sunt extrema ætate constituti. Et vesica membrum frigidum est, neq; in ea calor tantus reperiri potest, qui ad exsiccandam materiam sufficiat.

XXVI. Ab hac sententia parum discessit Horatius Augenus, Epist. med. l. 2. c. 2. qui actuum principales causas ipsas partes esse statuit; eas autem agere prout sunt dispositæ. Et proinde renes nimium excalfactos in preparatam agentes materiam pro generatione calculi actionem edere depravatam dicit, à qua fiat opus tota substantia præter naturam, quod opus calculus est. Atq; ita intemperiem facere actionem corruptam; actionem autem corruptam opus depravatam & præter naturam procreare, calculum scilicet.

XXVII. Verùm cum & ipse à calore igneo calculum in renibus generari; in vesica vero, in qua igneum calorem statuere non audeat, à nativo insitoq; calore in pueris calculos
gigni

gigni scribat, c. 4. loc. alleg. iisdem difficultatibus premitur, neq₃ causam, cur in adultis etiam in vesica calculus generetur, reddere potest.

XXVIII. Hac omnia cum procul dubio Fernelius perpendisset, & calorem ad generationem calculi in renibus non sufficere animadvertisset; de part. morb. & sympt. l. 6. c. 12. aliam causam constituit, insitam nimirum renum arenosam calculosamq₃ constitutionem, quam qui à parentibus contraxerit, vix ulla ratione calculum effugere possit. Qua sit autem illa arenosa calculosaq₃ constitutio, seu, ut alii appellant, vis λιθοποιική, neq₃ ipse exprimit, neq₃ alii, qui eum sequuntur, sed tantum ex operibus cognosci statuunt,

XXIX. Verum & ista sententia nec præcipuam generationis calculorum causam explicat; & ut tolerari possit, commoda explicatione indiget. Nam ipsam renum facultatem ad calculi generationem concurrere, concedi non potest. Etenim cum in corpore nostro actiones perfectæ & læsæ easdem causis principales habeant, & idem, quod secundum naturam sese habens, recteq₃ constitutum, immediata est causa perfectarum actionum, etiam immediata causa sit depravatarum actionum, cum non rectè & præter naturam est constitutum: si in renibus malè & præter naturam constitutis peculiaris vis est calculos generandi, & calculi, ut loquitur Augenius, sunt depravatum corruptæ actionis renum opus; seu, ut Capiuaccius habet, facultas alteratrix mediante calore renum, quo ceu instrumento utitur, calculos gignit: facultas aliquid generandi renibus omninò adscribenda esset. Ut enim Chyli vel sanguinis vitiosi generatio nulli alii membro adscribi potest, nisi quibus naturaliter vis chylum & sanguinem generandi inest: ita etiam renibus, si, dum præter naturam sunt affecti, vim calculos generandi habent, alicujus rei generatio, dum naturaliter sese habent, adscribenda est. Id quod hæctenus à nemine factum, omnesq₃ in eo consentiunt,

renes publicum aliud officium nullum habere, nisi serosum excrementum à sanguine ad se alliciendi, & ad vesicam demittendi. Præterea etiam in aliis corporis partibus calculos progenerari videmus.

XXX. Itaq; quæ in aliqua parte generantur, non tamen concurrente facultate & forma illius partis, ut primario agente, vel causam efficientem in se habent, cujus vis saltem à partis illius qualitatibus excitatur & fovetur, vel à qualitatibus partis, ut primariis agentibus, producuntur.

XXXI. Ex his omnibus cum pateat, in ipsis partibus sufficientem generationis calculi renum causam vix inveniri posse: in ipsa materia potius præcipuam concretionis causam querendam censemus. Quod & Galenus planè inficiari non potest, qui, 6. Epid. Com. 3. tex. 15. scribit, non præcipuè caliditatem in pueris, sed materia, ex qua fit lapis, qualitatem ipsius compactionis causam existere. Atq; ut id faciamus, lapidum atq; plurimæ corporum extra humanum corpus concretionis docent.

XXXII. Lapis, quem Osteocollam dicunt, quomodo in Thermis generetur, notissimum est. Cujus generationis causam sufficientem nemo facile ex efficientibus externis reddiderit.

XXXIII. In Zepusio fontem esse, fide digni referunt Auctores, in cujus aquam conjecta lapide, ceu cortice, obducuntur. Atq; eadem aqua ubi paulò post profluxerit, lapidescit, & in tumulos exsurgit, quibus ad muros extruendos utuntur, atq; inde quidam dicunt, se domos ex aqua factas habitare.

XXXIV. Ad arcem Filleg specus esse dicitur, in quo aqua continuè destillans concrescit, ut ibi videantur, ceu statua hominum, consistere saxa, ex destillantibus sensim aquis genita. Ita in aliorum etiam montium speluncis, qui saxo potissimum calcario constant, ex aquis destillantibus lapides

pides concrefcere obfervatum eſt, qui ſtiriarum inſtar dependen-
dent. Et in Avernia rivulus eſt, quem incolæ Tiretine nomi-
nant, qui ex propria ſpuma pontem ſibi lapideum conſtruit,
Quorum omnium concretionem ſi quis tantum externis cau-
ſis tribuere conabitur, operam luſerit.

XXXV. Eodem modo de cryſtallorum generatione ſe res
habet, quas in locis tam calidis, quam frigidis generari expe-
rientia teſtatur. Atq; eos, qui tantum frigore cryſtallos con-
creſcere & congelare ſtatuunt, fruſtra laborare, ſola figura
cryſtalli tam exacta & regularis ſatis docet.

XXXVI. Quæ cum Recentiores perpenderent, ad gene-
rationem lapidum alii ſuccum lapideſcentem, ut Matthiolus
in præfat. in 5. Dioſcorid. nominat; alii aquam congela-
tivam neceſſariam eſſe dicunt, quæ non ſolum ut materia, ſed
etiam ut effectrix, & in ipsis indurantibus inſita, ad lapidum
generationem concurrat.

XXXVII. Inprimis verò hic conſideratione digna eſt
Tartari in doliis vinariis concretio, quæ certè neq; in calorem,
neq; in frigus commodè referri poteſt: ſed partes feculentæ à
vino ſeparatæ, ſalis craſſioris & ſuperflui virtute concreſcunt.
Ut enim ſalis proprium eſt in humido ſolvi & liqueſcere: ita
idem in ſicco concreſcere ſolet. Naçtus itaq; ſal ille tartareus
ſubjectum ſiccum, latera doliorum ſcilicet, & ipſe concreſcit,
& quicquid terreæ & feculentæ materia præſens eſt, unà con-
gelat. Quod in tartaro fit, idem in urina accidere videmus,
quæ ſi in matula aliquot diebus aſſervetur, lateribus ejus ma-
teria tartaro non abſimilis, calculis verò, qui interdum eji-
ciuntur, ſimilima adhereſcat.

XXXVIII. Idem in aliis ſalium generibus videre eſt, in vi-
triolo, alumine, nitro. Ubi enim lixivii vel aquæ, in qua vi-
triolum, alumen, nitrum vel aliud ſalis genus diſſolutum eſt,
ſufficiens quantitas evaporavit, reliquum ſponte concreſcit &
congelatur, & quidè facilius, ſi ſubjectum ſiccū naçta fuerint.

Unde sales tales vasorum lateribus adhaerescunt, & ut facilius concresecant, arundines vel batilli lignei injiciuntur, quibus adhaerescunt. Et nisi lixivium purum sit, feculentae partes praesentes cum sale in unam massam coagulantur.

XXXIX. Et quidem concresecit sal neque calore, neque frigore, ut in coctione salis videre est, neque exsiccatione, cum in aqua concresecat: sed vi naturali atque insita, quae cuiusvis salis generi propria est. Inde videmus quodlibet salis genus, nisi obstaculis externis impediatur, in certam figuram concresecere; suam figuram habere nitrum, suam salem communem, suam vitriolum, suam alumen. Sunt nobis ad manum lapilli, è calce terrae vitriolatae Smidebergensis concreti, figuram octaedri tam exactè referentes, ut affirmare ausim nullum artificem Adamanti exactiorem figuram inducere posse. Quae figura procul dubio est ex alumine, quae aliàs in illam figuram concresecere solet.

XL. Consideratione etiam digna sunt ferrumina, quae ex calce fiunt, & suam soliditatem non ex frigore vel calore requirunt, sed ex sale habent. Unde è calce, è qua sal lotionem separatus sit nullum solidum & firmum ferrumen unquam quisquam conficiet. Possentque huic rei non parvam lucem afferre varia lutorum & ferruminum genera, quibus Chymici in vasis muniendis, fractisque, glutinandis, aliisque etiam artifices ad lapides (unde lithocolle dicuntur) & alias res ferruminandas & conjungendas utuntur. Materia enim illa ita comparata est, ut mista sponte, & non pauca ex iis subito induretur & solidetur, ut nemo vel in calorem, vel in frigus, vel aliam causam externam duritiei & concretionis causam referre possit.

XLI. Haec & id genus alia, quae afferri possent, plurima si diligentius perpendantur, occasionem praebent penitus, quam hactenus factum, in causam generationis calculorum in corpore humano inquirendi. Ista enim omnia cum
persua-

persuadere videantur, lapides in renibus & vesica, qui nec calore, humidum absorbente, indurantur, nec à frigore congelantur, vix aliter generari, quàm si terrea, feculenta & viscida materia salso, lapidescenti, congelativo, tartareo, vel quocumq; modo appellare libeat, succo permisceatur, & salsus is ac lapidescens succus terrestrem materiam compingat, ac quasi ferruminet.

XLII. Hujus salsi & serosi humoris etsi aliquid sanguini & aliis etiam excrementis permistum sit, & propterea in aliis quoq; partibus calculi generentur: tamen in renibus & vesica, in quibus partibus scilicet à reliquo sanguine secernitur, & secretum colligitur, maxima perpetuò ejus copia est: & proinde in his partibus frequentius, quàm in aliis calculi, generantur.

XLIII. Cum autem non in omnibus hominibus calculi generentur, adjuvantes & sine quibus non cause investiganda, & primaria illi conjungenda sunt, ut ita specialis effectus specifica causa reddi possit. Vulgò pleriq; generationis calculi saltem crassitiam humorum & calorem renum causas constituunt: verum plurimi reperiuntur, qui humoribus crassis abundant, & qui semper lacte & caseo victitant; plurimi, qui calidos renes habent, neq; tamen unquam lithiasis sunt experti. Ideò hi nec propriam, nec adequatam causam proponunt. Nam causa principalis generationis calculi quæ sit, jam dictum: illa ut specifica reddatur atq; adequata, aliquæ conditiones & occasiones generandi calculi adjungenda sunt.

XLIV. Primam exponit Galenus, qui, 14. Meth. med. c. 16. scribit: Incidit aliquando ex cibo crasso diutius exhibitò etiam calculi in renibus generatio, quod vitium cur non omnibus contingat, satis patet. Quippe incredibile non est, quibusdam vel densos admodum esse renes, vel perangusta venarum in jecinore ora: quibusdam contrà esse habita. Et: 6. Epid. Com. 1. tex. 6. quicquid in venis serosi tenuisq; cum

sanguine permistum est, renes ad se trahunt; meatibus autem id in renis ventriculū percolantibus latius patefactis, aliquid etiam ex crassioribus succis simul illabitur. Quando igitur istud calefactum in renis cavo ad topbi consistentiam redactum fuerit: si renum vis expulsoria omne id unā cum lotia extruserit, arenosæ in ipso subsidentie fiunt: quod si in renis cavo impactum diutiùs inherescat, aliquid aliud ejusdem materia ex vena cava suscipiens, sibiq; apponens, plus augeatur. Semper enim quod recens influit, priori circumdatur, atq; ita insigni magnitudine topbus grandescit.

XLV. Ex quibus locis apparet, ad calculi generationem non parum conferre meatuum in renibus laxitatem atq; amplitudinem, ob quam materia feculenta terrestrisq; in renes admittitur, atq; ibi à seroso & salso humore coagulatur. Ut verò laxitas & amplitudo meatuum, quibus serosus humor in renes admittitur, non parum ad calculi generationem facit: ita contra angustia meatuum, quibus idem humor è renibus excernitur, & ad vesicam demittitur, ad ejusdem calculi concretionem occasionem præbet. Itaq; si meatus illi satis non pateant, atq; materia in renes admissa non facile exitum inveniatur, inibi heret, coagulaturq; & concrescit, ac primò sabulo ac arenulis præbet materiam; quæ si diutiùs retineantur, incrementum sumunt, accrescente indies nova materia, & in calculos concrescunt.

XLVI. Idq; faciliùs, si tertio accedat renum siccitas & debilitas. Omnia enim salium genera in sicco faciliùs concrescere, atq; in medio etiam liquore, modò subjectum, cui adhaereant, siccius nanciscantur, sua sponte coagulari, supra dictum est. Neq; etiam omninò negamus, ad generationem calculi renum calorem aliquid facere.

XLVII. Quibus tandem accedit materia ad calculum generandum aptitudo & copia, quam suppeditat vel cibi copia, & minus accurata digestio, qua nimirum quod feculentum,

tum, terrestre ac tartareum est, ut vocant, mixus rectè concoquitur separaturq̄, sed ad renes transmittitur, vel cibi natura multum terrestris, feculenta, tartareaq̄ materia in se continens; inprimis si minus rectè elaboretur & coquatur. Nam alias plurimi, quibus calor est fortior, atq; exercitiis majoribus dediti sunt, talibus cibis, ut caseo, lacte, & similibus, sine incommodo utuntur, quæ tamen in iis, quibus calor est debilior, vitamq; sedentariam agunt, præsentissimam calculi materiam præbent.

XLVIII. Ex quibus omnibus non admodum difficile erit speciales generationis catuli causas reddere, cur nimirum in aliis facile calculi generentur, alii contra toto vitæ curriculo nihil incommodi ab eo percipiant. Ob materia copiam & viarum laxitatem in pueris calculum vesicæ frequentius generari, ipsa experientia docet, & crassitudinem urinae potissimam procreationis calculi in vesica causam in pueris esse, affirmat Galenus, 6. Epid. Com. 3. tex. 15. Unde Hippocrates, in Coac. prænot. tex. 472. πᾶθημα παιδικὸν λιθίασιν nominat. Cum enim pueri voraciores sint, multos crassos & crudos humores generant, qui crassis urinis materiam, atq; hæ calculo vesicæ materiam præbent. Ob viarum enim laxitatem, materia illa crassa & feculenta in renibus non hæret, sed copiosius ad vesicam demittitur, atq; ut Galenus, 6. Epid. com. 3. tex. 15. habet, in unum coiens, cum semel aliquando non apto tempore excreta intus diutius remanserit, coagmentandi concrescendiq; initium capit. Eo verò principio factò, facile quicquid iterum crassi in vesicam delabitur, priori agglutinatur, majorq; inde calculus redditur. Ubi verò procedente ætate laxitas illa meatuum minor fit, hæret materia facilius in renibus, atq; ibi in calculum concrescit; accedente inprimis renum siccitate, quæ in dies augetur.

XLIX. Atq; id quidem in aliis sepius, in aliis contra nunquam accidit, prout nimirum in aliis materia, ad calculum generandum apta, nulla vel paucior ad renes demittitur, aliq; cause & conditiones ad generationem calculi necessariae desunt: in aliis verò materia calculo generando copiosior generatur, & ad renes affluit, & conditiones illae, atq; occasiones calculo generando necessariae modò enumeratae vel abortu, vel ob alias causas contigerunt. Hinc qui articulo- rum doloribus corripiti solent, ferè etiam calculo sunt obnoxii: senibus etiam renum calculus familiaris est.

L. Et ex istis qua ratione calculi in renibus imprimis generentur, satis perspicuum evadere existimamus: de generatione calculi in vesica saltem aliquid addendum est. In controversia enim positum videmus; an calculi vesicae sua rudimenta in vesica accipiant, & in ea toti concrecant ac generentur; an verò in renibus genita calculi rudimenta in vesicam transmittantur, atq; in ea augeantur.

LI. Fernelius, l. 6. de part. morb. & symp. c. 13. posteriorem defendit sententiam statuitq; omnem calculum in vesica conclusum rudimentum quoddam è renibus traxisse, è quibus per Nephriticum dolorem excidens, si grandiusculus est, in vesica aliquandiu hereat, illicq; allatarum sordium adbasu coagmentetur, dum verus confirmatusq; lapis fiat. Causasq; hujus suae opinionis has affert; primò, quòd neminem offenderit in vesica calculum habere, qui nephriticis doloribus divexatus ante non fuisset. Deinde, quòd in calculis è vesica exemptis in medio quasi nucleus reperiatur, qui sit verum rudimentum è renibus exturbatum, diversi, quàm reliquum integumentum ac involucrem, & coloris & substantiae. Tertio, quòd crassa & limosa materia tam diu in vesica vix possit subsistere, donec lapidescat; cum & sanguinis grumus & pus & mucosa lentaq; pituita, aliq; multa crassiora facile illinc profuant cum urina.

LII. Verùm Rondeletius, in method. cur. morb. c. 44. atq; alii hanc sententiam Ferneliu impugnant; & quidem rectè. Etsi enim Fernelio facilè concedi possit, aliquando accidere, ut rudimentum aliquod calculi è renibus in vesicam descendat, cui adhaerescat postea nova materia, atq; inde major calculus generetur; tamen semper hoc modo calculum in vesica generari concedi non potest.

LIII. Nam testatur experientia, pueros atq; infantes frequentissimè calculo vesicæ laborare, renum vero calculo atque nephritide conflictari, planè rarum est; adeò ut Brasavol. in com. 79. Aph. sect. 4. scribat, in pueris lapidem renum reperiri adeò rarum esse, ut albam cornicem: & Cardanus, in com. 26. Aphor. sect. 3. tanquam rarò contingens, & quod semel tantum viderit, referat, puerum quendam renum calculo laborasse. Et proinde falsum est illud, quod scribit Fernelius, neminem calculo vesicæ laborare, qui non antea calculo renum laborarit, doloremq; nephriticum passus sit.

LIV. Præterea si ex rudimento è renibus expulso calculus in vesica concreescere potest; ex eadem materia, per causam efficientem eandem, sine tali rudimento generari posse, absurdum non est. Eadem enim sunt cause augmentationis & generationis, quæ omnes in vesica æquè ac in renibus reperiri possunt. Nam quod Fernelius pro impossibili habet, materiam tam diu in vesica, donec lapidescat, detineri posse, id impossibile non est, si scilicet materia sit copiosior, crassa, lenta, & quæ facile hæreat, atq; urina diutius retineatur, ac materia crassa ac limosa non planè expellatur: quod accidit, cum vis expultrix, quæ vi fibrarum expellit, vel debilior est sua natura, ut in pueris; vel ob partium aliquam vitiosam constitutionem; vel ob materie crassitiem & lentorem in agendo frustratur.

LV. Neq; illud tandem cum experientia consentit, quod Fernelius dicit, in omnibus vesicæ calculis in medio aliquid reperiri, quod rudimentum aliquo modo calculi, & lapillum ali-

quem in renibus genitum arguat. Et si enim non raro lapides vesicae ex pluribus corticibus & lamellis coagmentati sunt: tamen omnes saepe ejusdem generis ac naturae sunt, & paulatim omnes in vesica concreverunt.

LVI. Calculorum porro non parva est differentia, non solum quod alii in renibus, alii in vesica, imò, ut dictum, etiam aliis partibus generantur; sed etiam quod alii in uno, alii in utroque rene progignuntur: verum etiam alii magni, alii parvi sunt, plures vel unus, duri vel friabiles, asperi vel leves, rotundi, oblongi, vel alterius figurae.

LVII. Caterum qua ratione renum calculi cognoscantur, docet Hippocrates, 6. Epid. com. 1. tex. 5. Ες νεφρον οδυνη βαρεία. όταν πλειρώνται, σίτη έμέσαι γε φλέγμα. όταν δέ πλεονάζουσιν αί οδύναι, ιώδεα, καιράς μιν γίνονται. λύονται δέ όταν σίτη κενώθωσι. ψαμμία τε πυρρά υφίσταται. αίματώδες τε ρέουσι. Νάγκη μιν τε και ίζιν.

LVIII. Nam primò qui calculo renum laborat, quam diu calculus in renibus quietus detinetur, dolorem in regione renum gravitatis, & tanquam oneris, alicujus sensus praeseferentem, percipiunt: acerbis verò & quasi ab aculeo infixis proventientis, dum calculus movetur, atque exitum querit. Dolor enim tum augetur, atque agri sentiunt mutatum doloris situm, & ad inguina secundum ductum ureterum descendere.

LIX. Id tamen de iis tantum calculis accipiendum, qui renum cavitate generantur. Nam qui in ipsa carne renum procreati sunt, non solum dum in vesicam descendunt, verum etiam tempore generationis, & dum in cavitate renum tendunt, acerbum dolorem excitant. Atque hic dolor augetur post cibum, cum renes comprimantur; sicut etiam ubi alvo suppressa renes flatu vel fecibus premuntur: imminuitur verò post alvi dejectionem, ut & vomitum, quia compressio cessat.

LX. Cum autem doloris colici & nephritici magna sit affinitas, qua ratione distinguendi sunt, docet Galenus, lib. 6.

de loc.

de loc. affect. c. 2. Primò in calculo renum dolor non est ita gravis, ut in dolore colico. Deinde in calculo dolor saltem in regione renum percipitur, nisi quod interdum ad coxendicem vel ad testem è directo situm protenditur; in colico etiam in aliis partibus: colicus ascendit ob situm coli; nephriticus descendit ob situm ureterum; colicus magis epigastrium & umbilicalem regionem occupat; nephriticus magis lumbos. Præterea in colicis vomitus sunt frequentiores, quam in nephritide; cum in nephriticis vomitus ferè solum post cibum accidat. His accedit, quòd in colica alvi excrementa supprimantur, & flatus retineantur; in calculo magis urina supprimatur. Tandem etiam alia signa peculiariora apparent in nephritide, ut urina cruenta, arena, stupor & id genus alia, quæ jam enumerabuntur; in colicis verò non apparent.

LXI. Deinde in calculo renum in principio vomitus fiunt; quia renes nervos suos à stomachico accipiunt, & tunica renes investiens ortum ducit à peritoneo, quod ventriculo connectitur. Et quidem pituitosi; quia is humor sæpius à ventriculo gignitur: ubi autem malum augetur, & dolores perseverant, sanguine vehementiâ doloris vigiliarumq; corrupto, æruginosi fiunt vomitus, imprimis si febris accedat, & inedia præcesserit; vomitibus autem liberantur à paroxysmo, sed non ab ipso malo.

LXII. Urina in principio est pauca tenuis & aquosa, interdum etiam planè supprimitur: postea copiosa, crassa, & arenosa exit, quæ ardoris etiam quendam sensum inter excernendum excitat, & sæpius ad mejendum stimulat. Et quia calculi isti sunt asperiores & angulosi, partes, per quas moventur, ulcerant, unde sanguis unà excernitur, & urina cruenta redditur.

LXIII. Solet & stupor in femore, quod est è regione renis affecti, percipi. Cujus symptomatis causam Galenus, 6. Epid. comm. 1. tex. 6. refert in vasorum dorso incumbentium, cavæ venæ scilicet, magnæq; arteriæ, cum renibus & cruribus

conjunctionem. Eos verò, qui per meatus urinarios, aut quasdam membranas, aut nervos, vel etiam peritoneum renes cum cruribus copulari asseverant, ut Anatomia planè imperitos reprehendit.

LXIV. Verum enim verò cum extra controversiam sit, stuporem esse animalis facultatis, tactus scilicet, symptoma: causa ejus non in instrumentis facultatis naturalis aut vitalis, venis & arteriis, sed instrumentis facultatis animalis querenda est. Itaq; cum musculus, cui renes incumbunt, cruri flectendo destinatus sit, & in cruris interiorem partem inseratur: deinde cum nervi è lumbis orti in musculos cruris inserantur: in compressionem potius musculi illius & nervi, qui in crus expanditur, quàm in venas & arterias causa referenda. An autem in utroq; an verò in altero tantùm sit calculus, sedes doloris docet, & stupor femoris è regione renis affecti, & testis ejusdem lateris retractio & dolor.

LXV. Calculus verò vesicæ cognoscitur primùm doloris situ. In regione enim vesicæ, imò sæpè in universo pudendi ductu dolor percipitur; præsertim dum ægri vehementius moventur. Hinc calculo vesicæ laborantes, præsertim pueri, frequenter pudendum scalpunt & contrectant, quod præter rationem vel laxum vel intentum esse solet. Urinæ sunt crudæ, interdum crassæ, turbidæ, subalbæ, sedimentum mucori simile habentes & sabulosum. Adest urinæ stillicidium, ac in fine mictionis dolor, mingendiq; crebra cupiditas. Interdum urinæ planè intercipitur; mingendiq; crebrum desiderium comitatur tenesmus.

LXVI. Nonnulli ex arenularum colore indicium sumi posse existimant, an calculus sit in vesicæ vel in renibus. Rubras enim & duriores arenulas ex renibus, albas magis & friabiles ex vesicæ provenire docent. Verùm hæc differentia potius ex materia natura & conditione, quàm ex loco provenit.

LXVII. Hippocrates hæc 4. Aph. 79. scribit: quibus
in

*in urina arenosa subsistunt: his vesica laborat calculo. Gale-
nus in commento hunc aphorismum erroris arguit, sive
quia Hippocrates ipse primam sermonis partem neglexerit,
sive quia primus librarius omiserit, cum etiam in renibus a-
renulae generentur.*

*LXVIII. Verum Cardanus, in comm. ita hunc apho-
rismum explicat. Si arenosa subsistunt: hoc, inquit, assidue
intelligendum est, non aliquando. Arena enim renum nec
subsistit, sed adhaeret, nec arenosa, sed arena dici potest, nec
perpetuo apparet, sed quandoque. Arenosa vero haec, id est, lapi-
dum frustula & pulvis, ideo calculum vesicae significant, quo-
niam quod friabile, quotidie atteritur, maxime in exercenti-
bus sese, aut si plures sint lapilli. Ideo si quis recte scire velit,
an aliquis calculo vesicae laboret, eum jubet equitare, saltare,
exerceriq; paulo vehementius, & exhibere lapidem commi-
nuentia, atq; inde subsidentiam urinae inspicere. Si enim in
quatuor aut tribus diebus pulvis appareat; lapis non durus:
si lapidea frusta & quasi arena (non autem arena) topus est:
si nihil horum apparet, lapis procul dubio non adest.*

*LXIX. Si tamen adhuc de calculo vesicae dubitatur, duo,
quibus id experiri licet, supersunt, nimirum ut vel digitus in
anum, vel catheter in vesicam immittatur, & an vesicae calcu-
lus praesens sit, tactu exploretur.*

*LXX. Ne tamen in explorando per catheterem calculo
quis decipiatur, observandum id, quod a Recentioribus anno-
tatum fuit, calculos vesicae interdum membrana atq; involu-
cro & muco, anguilla pellem referente, investiari, quod facit,
ut tactu catheteris calculus deprehendi non possit.*

*LXXI. Hoc modo cum calculi in renibus & vesica ge-
nerentur, atq; haec conjuncta habeant symptomata: quid Me-
dico agendum sit, non ita difficile est invenire.*

*LXXII. Primo enim calculus in vesica si consideretur,
ut causa obstructionis meatus urinarii, ob quam urina excre-*

tio impeditur, transpositionem, seu ex meatu urinario amovitionem indicat. Si verò consideretur, ut toto genere prater naturam est, indicat omnimodam sui è corpore ablationem, si-
ve hæreat in renibus, sive in vesica.

LXXIII. Tollitur autem, dum per urinarios meatus vel excernitur, vel arte extrahitur. Et quia, si paulò major sit, urinariorum meatuum angustia excretionem impedit, meatus laxare oportet, ipsum verò calculum atterere, & in minimas, quantum fieri potest, partes dissolvere, ut postea sine impedimento excerni possit.

LXXIV. Arte verò ferè tantum è vesicâ extrahuntur. Et si enim observatum sit, magnos calculos è renibus per lumbos & ilia per apostemata in iis locis genita excretos fuisse, atque antiqui etiam sectionem renum adhibuerint, ut ex libro Hippocratis, de Intern. affect. videre est: tamen tale quid tentare periculosum est, & ut Avicennas loquitur, l. 3. Fen. 18. tr. 2. c. 18. operatio ejus, qui rationem non habet.

LXXV. Dolores si sint nimii, demulcendi & mitigandi sunt. Tandemq; opera danda, ne lapis, ubi semel ablatum est, iterum generetur, aut qui presens adhuc est, non au-
geatur.

LXXVI. Quâ autem ratione & modo ista expediri possint, jam porrò videamus. Primò si ob lapidem vesicæ excretio urine impediatur, lapis à meatu urinario amovendus; quod fit vel corporis, homine supino jacente, levatisq; femoribus, concussione; vel cathetere, aut subtilissimo cereo oleo inundato immisso.

LXXVII. Verùm ut urine retentæ exitus patefiat, hoc modo præstat: sed ipsum malum calculusq; non tollitur, & facile fieri potest, ut iterum in meatum urinarium illabatur, urineq; suppressionem pariat. Quare ut integra homini sanitas restituatur, calculus planè è corpore tollendus est.

LXXVIII. Et primò quidem calculum frangentia quod
attinet,

attinet, quæ Græcis λιθοντενία & d' nominantur, sunt illa calculo renum & vesicæ communia, & postea recensebuntur. Verum in renibus facilius frangitur, in vesicæ difficulter. Obviarum enim longitudinem vires medicamentorum enervantur. Unde pleriq; majorem in sectione, quam in medicamentis spem ponunt. Et licet non pauca, quæ calculosis auxilium pollicentur, circumferantur medicamenta: tamen effectus rarò respondet.

LXXIX. Notatu tamen dignum est illud, quod ex millepedum, seu asellorum preparatur cinere, & ab Horatio Augenio, tom. 2. Epist. & Consult. med. l. 9. Epist. ad D. Sigismundum Colreuterum, Sereniss. El. Saxonici AUGUSTI medicum, describitur, quo quidam jam sectioni destinatus novem dierum spacio integrè curatus est; & quod etiam in renum calculo felici successu ab Augenio usurpatum est.

LXXX. Cum verò via ad vesicam longa sit, & in ea non parum de medicamentorum viribus decedat: compendiosior via & loco viciniore per urinarium meatum Syringæ beneficio medicamenta calculum frangentia vesicæ etiam immitti possunt.

LXXXI. Si verò medicamentis calculus non cedat: ad Chirurgiam accedendum: cumq; res hac gravis & plena periculi sit, Hippocrates juramento suos obstrinxit, ne calculosos secarent, sed viris operationis hujus expertis id permitterent. Et illud ipsum periculum etiam iis, qui artis hujus gnari sunt, perpendendum, neq; temerè aut precipitanter ad sectionem accedendum.

LXXXII. Si calculus ovi magnitudinem superet, vix sine dilaceratione extrahi potest: quam inflammatio & gangrena, atq; adeo mors, vel involuntarium & perpetuum urine profluvium subsequitur. Idem periculum imminet, si calculus membrana, quæ vesicæ adhaeret, sit inclusus, aut calculus ipse vesicæ adhaerescat.

LXXXIII. Sanè in juvenibus tutius hæc operatio instituitur: in adultioribus verò & præsertim senibus majore cum periculo. Cornel. Celsus, lib. 7. c. 26. in pueris ab anno ætatis 9 ad 14 sectionem permittit. Verùm experientia docuit, etiam in iis, qui ab anno ætatis 60 non procul abfuerunt, non infeliciter sectionem successisse. Et proinde nonnulli numeros in codice Celsi depravatos esse suspicantur. Idem Celsus tempus tantum vernalium huic operationi optimum esse docet: sed neg. initium autumni incommodum.

LXXXIV. Quæ ratione autem sectio, ubi ultima experi-ri statutum est, institui possit, docet Celsus, l. 7. c. 26. Stephanus Gourmelin. l. 2. art. Cher. Ambrosius Paræus, l. 16. c. 42. & seqq. atq; alii passim Chæirurgi.

LXXXV. Si lapis minor sit, atq; in meatum urinarium illabatur, non retrudendus est, sed ol. amygd. dulc. lubrico reddito meatu, digito blandè versus glandem protrudendus, & exprimendus, vel exsugendus. Idq; tamen sine omni violentia faciendum, ne dolore magno exorto convulsio vel inflammatio etiam lethalis excitetur. Sin verò sit crassior, asperior & à glande remotior, nec educi possit, incisione facta eximendus eo modo, quem docet Ambr. Paræus, l. 16. c. 40.

LXXXVI. Ægyptii etiam sine sectione calculos è vesica extrahere solent, & quidem duplici modo. Utrumq; describit Prosper Alpinus, de med. Ægyptiorum l. 3. c. 14. Prior hic est: Ægyptii medici lapides è vesica extrahere volentes, colis vesicæq; meatum vento laxant & dilatant, ut per eum lapis exire possit, quem vento eodem extrahunt & educunt. Quo modo cuidam Turcarum Duci multos calculos è vesica extractos, inter quos erant, qui nucleum olive magnitudine æquarent, & Judeo cuidam calculum olive magnitudine educitum vidit idem Prosper Alpinus.

LXXXVII. Alter hic est: Habent quosdam diverse magnitudinis cannulas, sive Syringas, è substantia cartilaginea, que

que facile dilatari possit, confectas. Harum graciliorem primò in virgæ canale usq; ad vesicam immittunt, mox ore eam instant, quantum possunt. Postea crassio rem paulò immittunt, eamq; similiter instant, hinc tertiam, & tandem quartam omnium maximam. Hoc modo quando virgæ meatus satis dilatatus est, ut lapis exire possit, egro commodè locato, digitoq; in anum immisso, lapidem ad vesicæ collum, quo majoris canalis extremitas pertingit, deducunt, cannulaq; immittunt. Quo factò, altero cannulæ meatu ore excepto spiritum attrahunt, lapidemq; simul evocant.

LXXXVIII. Calculum verò renum quod attinet: Etsi sanguis in calculosis primariò non peccet: tamen quia in doloribus vehementibus malum augere potest, & ut reliqua medicamenta tutius adhiberi queant, si necessitas id postulat, viresq; ferant, in principio vena cubiti interna aperiri potest, atq; interjectis aliquot diebus vena in poplite, aut circa talum è directò, si unus ren saltem afficiatur, ut suadet Hippocrates, 6. Epid. com. 1. Aph. 5. & Aëtius, 1. 11. c. 5.

LXXXIX. Caterù quã primũ in lumbis dolor percipitur, danda opera, ut è ventre inferiore excrementorum sentina educatur; quod commodissimè fit clysteribus, qui præterquam quod feces educunt, etiam laxare, emollire, dolores lenire, flatusq; discutere valent. Tales confici possunt è malva, parietaria, veronica, branca ursina; Flor. Chamæm, melilot, rad. altheæ, lilior, albor. sem. lini, fenigræci & sim. in quorum decocto cassia, El. lenitiv. diacatbol. & similia dissolvi, & olea similibus qualitatibus prædita addi possunt. Eadem materia etiam per vomitum & blanda purgantia educi potest.

XC. Postea pars dolens inungenda ol. amygd. dulc. è scorpion. vel linimento ex emplastro diachylo, adipe gallinarum recenti, butyro recenti in ol. amygd. dulc. & scorpion. soluto. Aut fofus vel cataplasmata ex alth. malv. sem. lini, fanigr. Chamæm. farina bord. & sim. quæ dolorem leniunt ac mul-

cent, viasq; laxant. Inprimis commendatur Cataplasma è parietaria, præcipuè viridi, cum ol. amygd. dulc. & scorpion. cui etiam rad. petrosel. & capæ sub cineribus coctæ addi possunt. Sicut etiam emplastrum è cancerorum in lacte coctorum & contusorum expresso succo, additis vitellis ovorum, ol. amygd. dulc. aut butyro recenti, vel eorundem in aqua simplici coctorum succo, cum pane albo misto, iisdem additis.

XCI. Interim & interna medicamenta adhibere licet, quæ vias laxant, ut decoctum rad. alth. cum passulis & veronica, item ol. amygd. dulc. recens. Si dolor sit nimius, ac metuatur, ne ejus vehementia vires dejiciantur, ad narcotica moderata confugiendum.

XCII. Si verò calculus in viis quasi impactus hæreat, balnea adhibenda, quæ dolores mulcent, & vias laxant. Magnum etiam auxilium hic nonnulli pollicentur è cucurbitulis non scarificatis, secundum ureterum ductum applicatis, factò initio in regione renum, deinde iis remotis, & deorsum gradatim identidem repositis.

XCIII. Postea ea quæ calculum frangunt, aut ad vias urinae promovent, exhibenda, quorum alii alia recensent. Milipedum supra in calculo vesicæ facta est mentio. Inprimis in hoc genere commendantur sanguis hircinus, lapis Judaicus, spongia, oculi cancerorum, cinis leporis, pellis leporina, milium solis, saxifragia, pimpinella, raphanus, petroselinum, ononis, levisticum, eryngium, rad. lappa, balicacabum, bacca Juniperi, nuclei persicorum, malorum armeniacorum, cerasorum, badera terrestris, spongia cynosbati, ossa mespilorum, succus portulacæ, veronica, limonum: Solutio oculorum cancri, spiritus terebintb. salis, vitrioli: ol. Juniperi, feniculi; sal ononidis, pimpinella, petroselini, è corticibus & stramine fabarum, milii solis, ex ovorum corticibus, & alia plurima, quæ collegit Schenckius, l. 3. observ. Michael Job. Paschatus, l. 1. de cur. morb. c. 47. & Henric. à Bra peculiari libello, è quibus varia composita.

posita confici possunt, quae etiam passim apud antores ex-
tant.

XCIV. Verùm de his omnibus tantè observandum, ta-
lia non esse exhibenda, antequam corpus purgatum sit, neq; et-
iam mox à cibo, multò mirus cibus admiscenda esse, ne humo-
res vitiosos cibosq; crudos ad renes ducant, calculiq; mate-
riam augeant, & cumulent.

XCV. Ubi calculus è corpore hisce medicamentis eductus
fuit, non cessandum, sed porrò etiam danda opera, ne nova cal-
culi materia cumuletur, calculiq; recentes generentur, quod
tamen iis, quibus à prima origine peculiaris ad calculum ge-
nerandum dispositio obtigit, prestare difficile est. Ad eam au-
tem rem diata primò summopere necessaria est. Cardanus, 5.
Aphor. 79. sex maximè prohibere lapidis generationem tam
in renibus, quam vesica scribit. Tomentum, inquit, seu stra-
gulum minimè potestate calidum: expressio diligens sedi-
menti dum mingitur, quod fit subsultim mingendo: usus oleis
abstinere à caseo, aut his quae ex lacte sunt, tum à terreis ac
salsis, tum, quod multa ac ferè omnia complectitur, à crudita-
te cavere.

XCVI. Et rectè cavere à cruditate reliqua ferè omnia
complecti dixit Cardanus. Nam videmus multos nulla re co-
piosius, quàm lacte & caseo vesci, & nihilominus à calculo esse
immunes, quod scilicet calorem vegetiorem habent, labori-
busq; dediti sunt, & propterea minus crudorum humorum
cumulant. Contra verò observamus alios, qui etiam delica-
tissimis cibus vescuntur, ob cruditates, quas ob ingluviem, o-
tium, caloris debilitatem, aliasq; causas cumulant, concurren-
te inprimis dispositione aliqua nativâ ad calculum, genera-
tioni calculi esse obnoxios.

XCVII. Atq; ea de causa, qui ad calculum dispositi sunt,
multò magis crassos atq; excrementitios cibos cavere debent,
quales sunt caro bubula, porcina, pedes, & membranose ac ner-
vose

vosa animalium partes, caro sale condita, ac fumo indurata, ut & pisces exsiccati, pisces item viscosi, ut anguille, carpiones, cerevisia crassa, & non defecata, vina crassa, aqua sabulosa & salsa, ac similia.

XCVIII. Deinde etiam idoneorum medicamentorum usus est necessarius. Cum enim, calore imprimis debiliore existente, etiam in accurata victus ratione aliquid excrementorum colligatur, medicamenta interdum usurpanda, quæ ea, quæ in ventriculo, intestinis, & primis viis colliguntur, excrementa evacuant, renesq; ac vias urinarias abstergunt & mundant, & ne in renibus calculi compingantur, & concregant, præcavent.

XCIX. In primo genere commendatur imprimis terebintine usus cum rhubarbaro, cremor tartari & similia. Inter posteriora præcipuè laudantur, & efficaciora deprehensa sunt, hedera terrestris, nuces avellane, bacca juniperi num. 5. ante cibum sumta, radix eryngii, ononidis, rubi, caro cynosbati, succus veronicæ, aq. fragor. præcipuè in calida renum ac corporis constitutione, cum qua emulsio è nucibus avellanis fieri potest, olei bac. Juniperi gutta cum melle passularum mista, & pleraq; alia quæ calculum frangunt: quibus omnibus commodissimè pulvis & succus glycyrrhizæ admiscetur. Ex quibus etiam varia fieri possunt composita.

C. Tanlem etiam danda opera, ut dispositiones illæ, quæ in renibus ad generandum calculum faciunt, tollantur. Inter quas cum præcipue sint carnis renum durities & densitas, atq; eorum caliditas, medicamentis humidantibus, relaxantibus & refrigerantibus opus est. In quem finem usurpari aqua fragor. & frigidarie cum syr. de succo viol. emulsiones è seminibus melonum: extra verò renum regio inungi potest Unguento rosaceo infrigidante, succo lactuce, portulacæ, violarum cum ol. amygd. & sim. pluribus, quæ hic recensere super sedemus. Non enim quam multa, sed quæ bona, quæ afferuntur, videndum.

F I N I S.